



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Coloniae Agrippinae, 1645**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)



PRÆFATIO AD  
LECTOREM.

**A**Nte annos circiter quadraginta, cum me ad Sacram Theologiam in Scholis explicandam compararem; in lectionem veterum Scriptorum non indiligenter incubui; tum ut eorum doctrinam haurirem tum ut legitima, & vera eorum opera à falsis, & suppositijs separarem. Itaque scripsi libellum de scriptoribus Ecclesiasticis, addita censura, qua notabam, quæ illorum opera essent certa quæ dubia, quæ manifestè supposititia. Hic meus liber, me partim nesciente; partim etiam nolente, & prohibente, ad manus multorum deuenit. Quare ne fortè post obitum meum in lucem edatur imperfectus & mutilus, ut solent eiusmodi libri frequenter emitti; cum in hac mea vltima ætate recognoui, expoliui, & auxi, atque in lucem dare constitui, ut vel



P R A E F A T I O

communi vtilitati deseruiat, vel saltem inemendatus, & imperfectus neminem offendat. Propositum autem mihi in hoc opere fuit, non omnes omnino Scriptores in Catalogum redigere: sed eos tantum; qui de rebus Ecclesiasticis quoquo modo tractant. Itaque Scriptores Ethnici, & qui de rebus tantum profanis, aut etiam honestissimis quidem, sed politicis, & humanis agunt, quales sunt legum ciuilium Tractatores, Philosophi, Medici Oratores, Poetae, Historici, Mathematici locum in hoc Catalogo non habebunt. Ac ne omnes quidem Scriptores Ecclesiastici ad meum Catalogum pertinebunt. sed illi solum, quorum opera adhuc super sunt, plurimi enim sunt Scriptores optimi, quorum opera perierunt. Quos auctores poterit lector apud S. Hieronymum, Eusebium, Gennadium, sanctum Isidorum, Photium, Honorium, Sigebertum, ac Trithemium facile reperire. Denique non omnes Scriptores Ecclesiastici, quorum libri extant, in Catalogo meo ponentur: sed ij tantum qui ab anno millesimo quingentesimo ante Christi aduentum, vsque ad annum Christi millesimum quingentesimum, id est,



A D L E C T O R E M.

id est, à Mose primo Scriptore Ecclesia-  
 stico vsque ad nostrum sæculum; sapien-  
 tiæ Ecclesiasticæ laude floruerunt. O-  
 mni enim Scriptores nostri sæculi, non  
 quod nulli, aut pauci, aut obscuro sint;  
 sed quod penè innumerabiles sint, & sa-  
 tis noti hominibus doctis; & quod nulli  
 sint libri, quod sciam, illis falsò supposi-  
 ti: ob quorum discretionem à legiti-  
 mis, & germanis, hunc laborem præci-  
 puè ego suscepi. Si quis tamen cupiat hos  
 etiam auctores cognoscere, habet An-  
 tonium Possevinum nostrum, qui in suo  
 apparatu Sacro tribus tomis distincto  
 Scriptores penè omnes, veteres, & recen-  
 tiores, per alphabeti ordinem enume-  
 ravit. Quia verò in hoc Catalogo solius  
 temporis rationem habui, & miscui  
 Theologos cum Iuris Canonici peritis;  
 & historicos Ecclesiasticos cum Orato-  
 ribus, & Poetis sacris propterea ad  
 maiorem lectorum commoditatem, sub-  
 ieci indices decem, præter Indicem Al-  
 phabeticum, qui ad initium operis po-  
 nitur. *In primo*, Indice erunt Explanato-  
 res sacræ Scripturæ. *In secundo* ij, qui scri-  
 bunt aduersus Hæreses. *In tertio* Doctores

† 3 Scho-



P R Æ F A T I O

Scholastici. *In quarto* sacrorum Canonum collectores, vel expositores. *In quinto*, qui casus conscientiae tractant. *In sexto* Oratores Christiani. *In septimo* Poetae, qui res sacras canunt. *In octavo* historici Ecclesiastici. *In nono* Chronologi item Ecclesiastici. *In decimo*, qui pios libellos ad alendam animi deuotionem scribunt. Adieci quoque ad finem operis breuem Chronologiam ab Orbe condito vsque ad nostra tempora, vt omnes intelligant, quid secutus sim; cum sua tempora Prophetis, atque alijs Scriptoribus assignaui. Illud postremò admonendum esse censui, me in hoc Catalogo non posuisse Pontifices Romanos, qui solas epistolas ediderunt, nisi quando probabile fuit, eas epistolas ab ipsis vel dictatas fuisse, vel scriptas. Siquidem epistola Pontificiae, vt plurimum, non partus sunt ingenij Pontificum, sed eorum, qui ab epistolis illis sunt. Certè sanctus Hieronymus in Epist. ad Geruntiam de Monogamia, testatur se iuuisse Damasum Pontificem in chartis Ecclesiasticis; & Orientis, atque Occidentis Synodicis consultationibus respondisse. Ex quo intelligimus, epistolas illas partum ingenij Hierony-

rony-



AD LECTOREM.

ronymi fuisse, non Damasi. Sanctus quoque Gregorius auctor est insignis epistolæ, quæ sub nomine Pelagii secundi Pontificis habetur post quintam Synodum generalem. Erat enim tunc sanctus Gregorius Pelagii Papæ Diaconus, eumque iuuabat in Chartis Ecclesiasticis, ut Hieronymus Damasum. Constat etiam epistolam Alexandri III. Pontificis ad Soldanum Iconii, non ab Alexandro, sed à Petro Blesensi fuisse compositam. Quod idem de multis aliis affirmare possumus.

